

lum bonum recompensat Deus secundum iustitiam retributivam, nisi propter aliquod meritum cui correspondet illud bonum. Istud meritum, quod dicitur esse in celebratione Missæ, ut Missa est, non potest esse meritum abstractum, sicut idem Platonis: ergo oportet, quod sit realiter aliquod meritum: vel ergo totius Ecclesiæ, vel aliquis membri: non est autem totius Ecclesiæ, nisi quia aliquis partis: non est autem partis male & mortuus in toto, sicut esset partis vivæ, id est existentis, & operantis in charitate: ergo in Missa non est tantum meritum cuiuscunque, quando est mali, sicut quando est boni, & per consequens Deus secundum iustitiam retributivam non habet aliquem in Ecclesiæ, nec toti Ecclesiæ recompensare tantum bonum pro ista sicut pro illa. Ad quartum dico, quod iungere est magis commune, & necessarium quam conficere: & magis necessarium, licet sit in se aliquando nobilior, pluribus tamen quandoque competit quam minus nobile, quod est minoris nobilitatis: & ratio est major sive communior necessitas: ita est hic, quia Christus expressè docuit se velle sumi in Eucharistia a quolibet Christiano. *Joan. 6. Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, & ibi loquitur omnibus, sed consecrationem seu dispensationem noluit ita esse communem, quia non fuit ita necessarium, ut esset communis: possunt enim pauciores dispensare quam suscipere.

Ad quintum dico, quod Laurentius dispensavit sanguinem Christi, ut patet in legenda, quod bene est congruum, quia sanguis non dispensatur nisi in calice, tactus autem calicis conceditur Diacono; sed corpus non dispensatur nisi species panis tangitur: ideo sequens auctoritas de dispensatione corporis a Diacono videtur distinctior.

Ad quam dici potest, quod simpliciter in casu necessitatis conceditur Diacono dispensare corpus Christi, ut dicit auctoritas allegata; sed non sequitur ex hoc, quod possit conficere, quia minus est dispensare quam conficere. Nullo autem modo laico conficere, nec etiam dispensare convenit secundum illud de *confec. dist. 2. peruenit*, ubi dicitur, quod *quidam presbyteri iniquam parvipendunt divina mysteria, ut laico corpus Domini tradant ad deferendum infirmis*; & sequitur, *Interdicti synodus ne talis temeraria presumptio amplius fiat*.

Ratio congrua est, quia sicut ab anima mediante corde derivantur virtutes animæ ad cætera membra, & in corde est principalis sedes (vide 16. de animalibus) & etiam in qualibet politia aclus principales pertinentes ad illam politiam, pertinent ad aliquam personam principalem in illa politia: ita rationale est istum actum conficiendi, & dispensandi Eucharistiam residere apud illum, qui est principalis in Hierarchia Ecclesiastica; huiusmodi autem est Sacerdos; ergo &c.

Confirmatur hoc, quia non minoris reverentiæ, vel auctoritatis est posse super Corpus Christi verum, quam super Corpus Christi mysticum; secundum autem soli Sacerdoti convenit: æque ergo, vel

vel magis propter reverentiæ Corporis Christi veri soli Sacerdotis conveniet auctoritas respectu ipsius conficiendi, & regulariter dispensandi: non enim potest in Ecclesiæ nimis digna persona, nec nimis dignus gradus inveniri ad consecrationem, vel dispensationem istius Sacramenti, in quo veteratur, & realiter continetur: ille qui est Sanctus Sanctorum: cui fit gloria in sæcula sæculorum.

DISTINCT. XIV.

Postquam Magister determinavit de Sacramento Baptismi & Confirmationis, & Eucharistiæ, hic determinat de Sacramento Penitentis: quod est commune Sacramentum post lapsum, quia secundum abul post usurarium est Penitentis secundum Hieronymum. Circa istam distinctionem Decimanonquartam queritur.

QUESTIO I.

Utrum penitentia necessarii requiratur ad deletionem peccati mortali commissi post Baptismum?

Videtur quod non, quia cessante acta interiori & exteriori cessat esse peccatum: ergo statim sine penitentia deletur. Antecedens patet, quia peccatum non est nisi deordinatio in actu exteriori, vel interiori. Secundo sic homo offensus potest remittere offensum absque hoc quod offensus penitet: ergo multo magis Deus qui est summe misericors: sed remissa offensâ remittitur peccatum: ergo &c. hæc duo argumenta probant, quod non requiritur penitentia ad istam deletionem. Item, quod non valeat ad illam deletionem, probatur primo sic: August. in Homil. super illud *Lucæ 6. Hæc misericors loquens de damnatis dicit: Erit & tunc penitentia, sed tamen infructuosa*: quod probat per illud dicitum de damnatis Sap. 5. *Penitentiam agentes*, &c. Si autem dicas quod quandoque homo est in vita ista, valet penitentia ad deletionem peccati, sed non post. Contra hoc est auctoritas Hiero. de *penit. dist. 4.* & ponitur in littera: *Nihil Jude presunt esse penitentiam, per quam seculum emendare non possit*. Item oportet illud; per quod deletur peccatum mortale, esse majus bonum quam peccatum illud sit malum, vel æque bonum: sed penitentia est minus bonum quam peccatum mortale sit malum; ergo &c. Major patet, quia non recompensatur malum nisi per bonum æquale illi, quod tollit. Minor probatur, quia penitentia est bonum finitum: peccatum autem mortale est malum infinitum, quod patet per illud Ansel. *Cur Deus homo lib. 2. cap. 5. tantum malum est peccatum, quantum est qui offenditur, vel in quem committitur*: sed ille est infinitus, quia sibi soli peccat ergo &c. Hæc duo argumenta probant, quod penitentia non valeat ad deletionem peccati mortalis. Oppositum probatur similibus viis quantum: ad primam viam sic: Salvator ait *Luc. 11. Nisi penitentiam egeritis omnes simul peribitis*. Item Hiero.

2. epistola ad Demetriadem, & ponitur in litera, secunda post naufragium &c. Prima tabula comparatur navi integræ, qua fracta naufragus periclitatur, nisi alieni tabule adhaeret, hæc dicitur secunda tabula: ergo a simili cadens in peccatum mortale, & in hoc passus naufragium spirituale periclitatur, & in adhaeret penitentia. Item quantum ad secundam conclusionem arguitur sic, Matth. 3. dicitur, *Agite penitentiam* &c. ergo vale. Item Ezechia 18. Si impius egerit penitentiam, sequitur. *Omnium iniquitatum ejus non recordator vita viuet*; ergo &c.

Hæc sunt tria videnda. Primo quid manet in peccatore transiente actus, a quo dicitur peccator: quia qui nihil reale manet, non oportet querere quid delendum sit, immo omnino essent similes, qui nihil commisit, & qui cessavit tam ab actu peccandi interiori quam exteriori. Secundo quod illud deletur, & ad hoc requiritur aliqua poenitentia. Tertio, quod non quæcumque, sed poenitentia penitentialis, & in hoc patet solutio quaestionis. De primo sciendum, quod sicut est duplex justitia. Habitualis, scilicet gratia & charitas. Et actualis, scilicet rectitudo nata inesse actui elicito, & prima patet, secunda declaratur, quia actus natus est ellici conformiter suæ regulæ, & in ista conformitate consistit rectitudo ejus. Item cum opposita æque multipliciter dicatur, erit duplex injustitia. Habitualis, scilicet privatio gratiæ in eo cui debet inesse. Et actualis, scilicet privatio illius rectitudinis in actu, cui debet inesse. Post autem actum intrinsecum & extrinsecum transientem manet quedam injustitia habitualis: sed non ab illa sola dicitur quis peccator, aliquo qui commississet duo milia peccata mortalia, & qui unum, essent æque peccatores, & intensive & extensive, quia in eis & tota gratia quantum ad intentionem, & sola ipsa quantum ad extensionem privatur, tam in eo qui commisit unum, quam in eo qui duo milia, & ideo non diceretur unus minus peccator post actum transientem, quam alius. Assumptum probatur, quia in quolibet peccato mortali ita privatur gratia, quod nihil ejus manet, & per consequens per nullum succedens potest fieri interior nec exterior, loquendo de privatione ista habituali, quia non privatur nisi unum habitum, sicut non est natus, nisi unus inesse, & hæc ratio similis est rationi Ansel. de conceptis virginali, quod peccatum originale non est natum inesse magis in uno, quam in alio, quia in quo non est in justitia, non potest ab eo privari justitia, de quo dicitur est lib. 2. dist. 30. & 37. Injustitia autem actualis manere non potest cessante actu, quia illius subjectum proximum est actus in anima, sicut & rectitudinis ipsius, non enim anima potest esse immediatum subjectum illius rectitudinis, sed tantum actus in anima, adhuc tamen non manente actu, non manet illa rectitudo, nec ejus obliquitas. Dicitur autem (a) quod manet in anima quæ peccavit, reatus culpæ qui est quedam obligatio ad penam debitam illi culpæ.

IIa

a D. Tho. presentis dist. q. 2. art. 1. in sol. princ. 2. q. in 3e dist. 8. 15 dist. 3. b. u. s.

Illæ autem obligatio est quedam relatio realis non fundata super actum culpæ, sed super ipsam essentiam animæ; non tamen nisi culpa prævia actuali, sicut est dictum sæpe supra, quomodo super actionem fundatur relatio. Sed contra hoc arguitur dupliciter. Primo, quod nulla relatio realis fundata super actum culpæ manet in anima. Secundo, quia si maneret, non ab illa diceretur anima peccatrix. Primum probatur, quia relatio realis intrinsecus adveniens sequitur necessario positionem extremorum: hæc autem non sequitur; patet, quia anima eadem manente, & Deo, sui pena eodem modo se habente, & non propter hoc anima eodem modo est obligata ad penam, quia non ante peccatum. Quod si relatio extrinsecus realis, nec agens realis, sed iusti obligatio non potest dari actio realis, nec agens realis; non enim anima, quia peccando non habuit nisi unicam actionem inordinatam, que sicut ad illud ostendit privatum circumstantiis debitis, & ita non ad istum respectum, ut ad terminum: nec potest ista obligatio dici terminus actionis divine immediatus, quia nulla anima dicitur peccatrix præcise ab illo, quod est terminus immediatus actionis divine.

Secundum probatur per illud ultimum, quia si esset in anima talis obligatio, non possetungi inesse nisi a Deo immediate, & ita per istam formaliter non esset anima peccatrix, cum Deus non sit causa peccati per se, sed solum permissiva. Istam difficultatem tangit Magister dist. 18. c. ult. & videtur solve per hoc, *Pellata est anima*, inquit *quæque penitens, sicut erat dum in ea erat prava voluntas*; & exemplificat de eo qui tetigit morticinum: cessante enim tactu est immundum sicut prius, & subdit. *Ita postquam remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati, quia ita est longe a Deo per dissimilitudinem. Ista ergo dissimilitudo, quia inest anima ex peccato, & est elongatio anime a Deo, macula intelligitur.*

Contra istud stat deductio prior, quia macula ista, vel elongatio vel dissimilitudo, quomodocumque nominetur, non potest esse tantummodo carentia habitus gratiæ, quia illa rotaliter inest primo peccato; nec carentia rectitudinis in actu, quia ista non est nata manere nisi manente macula in actu.

Item macula summi odii A. & amor summi ipsius A. repugnant; ergo per unum auferatur aliud, & per consequens macula odii A. posset auferi per immoderatum amorem ipsius A. Dico ergo quantum ad istum articulum, quod nihil reale absolutum, vel relativum est in aliquo cessante omni actu peccati, a quo ille dicitur peccator, & hoc vel graviter vel multipliciter peccator, sicut aliquis dicitur post actum transientem.

Quia si dicitur aliquid derivatum ab actu manere, illud non est formaliter peccatum, quia potest stare in justificato, sicut habitus vitiosus, vel dispositio ad illum, manet in justificato subito. Patet, quia

quia in principio pronus est ad sequendum illam inclinationem habi-
tibus vitiosis, sed pugnando contra eam bene meretur, & acquirit
sibi habitum in contrarium, unde magni peccatores non statim
quando sunt iustificati habent illam pacem, quam habent perfecti
& exercitati in virtutibus. Quicumque etiam habitus, vel
dispositio vitiosa derelinqueretur ex acibus, desineret esse,
post fluxum temporis, nisi firmaretur per frequentes actus,
sicut universaliter omnis dispositio ad habitum de se esse cessantibus
actibus periculis habitum: sed illud a quo peccator dicitur peccator
post actum, non desinit esse per quantumcumque tempus, licet
actus istius non adiciatur: semper enim in infinitum est peccator
postquam commisit; non est ergo ibi aliquid absolutum vel
relativum positivum vel privativum, a quo dicitur peccator a tempo-
re cessationis actus usque ad penitentiam, sed tantummodo quodam
relatio rationis in quantum est obiectum intellectus vel voluntatis Deis
quia postquam commisit, Dei voluntas ordinat ipsum ad penam
correspondentem peccato, & tunc intellectus praevidet & pro omni
tempore, donec pena debita sit soluta. Istud probatur per Aug. su-
per illud Psal. *Beati quorum remissa sunt, &c. Videre, inquit, Deum
peccata, est ad penam imputare, & avertere auiem faciem a
peccatis, hoc est ea ad penam non referre.* Ita ergo dicit peccata
a deo reata, non ut Deus tunc non videat, sed ut nolet animadver-
tere, id est; punire; ergo ipsum remanere in reatu post actum tran-
sirentem, nihil aliud est, nisi ipsum a Dei voluntate ordinari ad penam
condignam illi peccato: obiectum autem intellectus. vel vo-
luntatis ut intellectum vel volitum, non habet, nisi relationem ratio-
nis; ergo &c. Confirmatur per simile, quia esio quod Deus immu-
tatione meritorum non incendat habitum charitatis, ut possibile
est, si merita sint remissa, vel etiam si essent intensa: tamen iste qui
plura merita habuit transuentibus interioribus & exterioribus est
magis meritis, quam alius, quod nihil aliud est, nisi quia ordina-
tur ad maiorem gloriam, per quod non habetur aliquid reale posi-
tivum vel privativum absolutum, vel relativum in seipsum illi; sed
tantum relatio rationis in quantum, ut est obiectum voluntatis divinae
ordinatur ad multiplicem gloriam; ibi enim in acceptione divina
ordinatur illa merita, vel illa per merita ad talem vel talem glo-
riam: sicut ergo ista acceptio propter merita transuentia nihil est
realiter, nisi actus voluntatis divinae, & in isto tantum relatio ratio-
nis, sicut in obiecto voluto; ita ex alia parte propter peccata trans-
uentia nihil est aliud obiectio illius, nisi reprobatum vel repulsum in volun-
tate divina, & in peccatore relatio rationis ut obiecti vel reprobatum
ad talem vel talem penam ordinari.

Hoc tandem patet in exemplo simili quia si quis offendat magnum
Principem tali offensa cui correspondat pena magna, cessante illo
actu nihil est in ipso, quod prius non fuit propter quod modo di-
catur inimicus, & non prius fuit tantum in voluntate domini offensi est
actus transiens super ipsum: & per hoc in ipso est relatio rationis ut in
obiecto voluto, vel ordinato ad talem penam. Ex

Ex isto sequitur corollarium, quod nihil aliud est post actum peccati
cessantem, offensa, macula & reatus, nisi ista relatio rationis,
scilicet ordinatio ad penam; ut est inconveniens ipsi animae dicitur
ejus macula, sicut per oppositum pulchritudo: ut autem est obligatio
formaliter ad illam penam dicitur reatus, & ut est actus voluntatis
divinae in quo est tota ista realitas, per quem actum ordinatur ad ta-
lem penam dicitur offensa: nihil enim aliud est offendi, vel laesi in
Deo, quam velle vindicare ista pena, & licet Deus dicitur figura-
tively iratus, vel offensus: tamen accipiendo istam rationem *irasci pro
velle vindicare*, exclusa passione concomitante illud *velle*, Deus
formaliter est iratus, vel offensus, quia formaliter est volens vindicare
peccatum commissum contra legem suam.

De secundo articulo dico, quod istud quod dicitur est remanere
post actum in peccatore, potest deleri, & quandoque deletur iuxta
illud Symboli, *Remissionem peccatorum*, & Deus est remissivus
peccatorum, & quandoque remittens peccata. Et hoc probatur sic:
quia aliquando praedestinatus labitur in peccatum mortale, patet de
David, Petro, & Paulo, & quasi innumeris, non autem potest be-
tificari, ad quod principaler ordinatur per praedestinationem nisi
deleto peccato, accipiendo peccatum in modo practico, quia nullus
beatificatur, remanens obligatus ad penam solvendam, quia vel si-
mul solvenda, cum gloria, quod est impossibile; quia ad minus
secundum dispositionem divinam gloria illa & pena quocumque repu-
gnant: vel post glorificationem solvenda, quod similiter est impos-
sibile: curia Deus disposuit illam gloriam in quocumque finale esse,
ita quod non sequatur aliqua penam ergo oportet ante glorificationem
remitti vel deleri illud obligationem ad penam quandoque solvenda.
Secundo dico quod non remittitur sine pena, vel equivalente
in acceptione divina, quia per quodcumque peccatum offenditur
Deus, sicut Scriptura facit clarior: offensa autem ejus, vel ira (ut
dicitur est) est ejus *velle vindicare*, vel aliquid sufficiens ad plac-
candum exigere; ergo posito quocumque peccato Deus vult vindicare
de peccante: sed velle vindicare, est velle punire; ergo post peccatum
commissum ad ejus deletionem requiritur aliqua punio vel
equivalens in acceptione divina. Et licet culpa, quae tollitur, tollatur
regulariter per penam sicut obligatio ad aliquid tollitur per sol-
utionem illius, & licet quandoque tollatur per aliud a pena equi-
valens in acceptione divina: tamen regulariter per penam ordina-
tur, nisi non tollatur, & hoc est quod dicitur committere, & acci-
pitur a Beotio *lib. 4. de Consolatione Philosophiae, prosa 14.* quod
pena est ordinativa culpae, ita quod non potest relinqui in universo
aliqua culpa, cui non correspondat pena ordinativa. Et simpliciter
melius est peccatorem non corrigendum esse in pena, quam sine pena:
quia in primo est aliquid boni scilicet correspondentia iuxta penam
ad culpam; sed in secundo est tantum malitia scilicet culpa & impuni-
ta. Nec tamen intelligo quod hic sit simpliciter necessitas, cuius co-
positum includit contradictionem, quia ex quo non est idem essentia

liter Deum remittere culpam, & punire eam, ut patet *ex illa quæst. dist. 16.* de expulsiōe culpæ & iniuriæ gratiæ, videtur quod Deus possit unum separare ab altero; sed de potentia ordinata ista est via universaliter præfixa a lege divina ordinante, scilicet peccatum puniri per penam tanquam per proprium correspondens.

De tertio articulo. Primo videndum est de re. Secundo de nomine. De re est ista conclusio, quod ad deletionem peccati regulariter requiritur penam, vel punitio voluntaria. Hoc probatur, quia per aliquam punitiōem deletur peccatum, ut dictum est in secundo articulo, & per aliquam non deletur, ut patet de punitiōe damnatorum, & de illa pena que solum sequitur culpam, juxta illud August. lib. de ciuit. primo: *Justi Domine, & ista est, ut pena sit sibi quisque peccator.* Non est autem ita probabilis differentia inter punitiōem, qua deletur peccatum, & qua non deletur, sicut de voluntario, & non voluntario. Tum, quia punitiō damnatorum longe major est, & intensiue, & extensiue, quam punitiō vitoris, cujus peccatum deletur per punitiōem: & per consequens majus & minus in intensiōe, & extensiōe non facit differentiam inter punitiōem delentem peccatum, & non delentem. Tum, quia ita videmus in offensis humanis, quod pena, vel dispensatiō voluntaria placat offensum, non autem omnino involuntaria, & cum murmure supportata, vel suscepta: ergo rationale est si per aliquam penam debeat deleri offensa, & per aliquam non, & differentia quo ad hoc non sit ita probabilis per aliquid, sicut per voluntarium, & involuntarium, quod pena voluntaria regulariter requiritur ad deletionem peccati. Et tunc sequitur corollarium quomodo dupliciter ordinatur culpa per penam: culpa enim manens ordinatur per penam concomitantem, sed involuntariam, & sic non deletur per eam: culpa autem ordinata per penam voluntariam, deletur per eam. Sed si queratur, quomodo aliqua pena possit esse voluntaria, cum de ratione penæ sit esse involuntaria: quia sicut nullus peccat in eo, quod non vult, ita nec punitur in eo, quod vult. Hæc difficultas prolixiorē requirit declarationem, ubi intelligitur est, quod involuntarium simpliciter est illud, (a) contra quod voluntas simpliciter remurmurat, & per consequens per oppositum, voluntarium potest intelligi tripliciter. Uno modo, contra quod non omnino voluntas remurmurat, sed patienter sustinet. Secundo modo, quod voluntario acceptat. Tertio modo, quod voluntarie causat, & hoc dupliciter, scilicet: vel ut causa proxima partialis, & non intendens istum effectum. Vel ut causa remota principalis, & intendens effectum, & sic habetur quatuor membra. Et patet hæc distinctio, quia in primis duobus modis tristitia est obiectum tantummodo volitionis. In tertio est effectus tantum, & non obiectum. In quarto obiectum, & etiam effectus, nisi aliquid impediat. Hæc membra sunt declarabuntur. Patet etiam ordo, quia secundum addit super primum, quan.

quantum ad rationem voluntarii, & tertium super secundum, & quartum super tertium. Pena etiam potest intelligi vel quodcumque incommodum, sive disconueniens & illud potest esse in homine in parte sensitiva, vel in corpore coniuncto actu anime sensitivæ; vel potest esse primum disconueniens, quod est tristitia, que est ex parte intellectiva, que proprie & primo est pena, de qua dicit Aug. de civ. lib. 14. c. 15. *tristitia est dissentio animi ab his rebus, qua nobis molestius acciderant.* Supposito ergo de penis exterioribus, tanquam de manifestis, quomodo possunt esse voluntariæ quocumque istorum quatuor modorum voluntarii, de pena ista prima, scilicet tristitia speciali videamus. Patet, quod ipsa potest esse voluntaria primo modo, scilicet secundum quid, idest, patienter tolerata, quia malum incommodum, tamen dum non sit contra testam rationem potest non tantum absolute patienter, sed ordinate patienter sustineri: potest etiam istud acceptari in ordine ad aliquem finem, ut dicit August. lib. de penitentia: *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Sed tertium, scilicet, quomodo voluetur causa de dolore, vel tristitia voluntarie, ut causa partialis, est difficilior. Ad quod dico, quod tristitia in aliqua voluntate causari naturaliter non potest, nisi a duabus causis concurrentibus, scilicet ex actuali notitiōe alicujus existentie, & actuali apprehensione illius existentie, juxta descriptionem tristitiæ præmissam ab Aug. quidquid ergo est causa notitiōis, est causa partialis ipsius tristitiæ, licet non intendat per notitiōem consolare peccatorem, nec oportet intendere: ista autem due causæ quodcumque concurrunt, quantum est ex se, causant tristitiam, sicut effectum naturaliter consequentem. Ex isto tertio declaratur quartum, quia ex quo tristitia sequitur, ut effectus naturalis notitiōem actualem alicujus, & consideratiōem actuali illius notitiæ, licet istæ duæ causæ multipliciter possint concurrere, quia ex tot causis, ex quor potest esse talis consideratiō actualis in intellectu, & talis actualis notitiō in voluntate; tamen nihil unum potest esse causa tristitiæ loquendo de naturali causatione, nisi possit esse causa necessariis istorum duorum, que sunt causæ proximæ naturaliter consequenti: hujusmodi autem causa communis potest esse voluntas, ut imperant actum consideratiōis, & actum notitiōis ejusdem obiecti, & hoc in ordine ad illam finem intantum, ut sequatur tristitia punient: ergo voluntas præcipiens intellectui considerat ali-quid, ut actu existens, & voluntati nolle illud ut actu existens, causat tristitiam, tanquam una causa etiam intendens istum effectum, & hoc non ut proxima, quia non potest esse una causa sufficiens proxima: sed causat tristitiam, ut una causa remota, quia causa est proximarum causarum respectu tristitiæ; & applicationis earum. Sic ergo patet quomodo prima pena, scilicet tristitia potest esse summe voluntaria, & est a voluntate causata: non tantum sicut a causa partiali, sicut universaliter causatur a voluntate volente illud quod evenit, sed sicut a causa totali, remota tamen, applicante scilicet causis partiales proximas hujus effectus, & hoc in ordine ad talem effectum cau.

causandum. Tunc argumentum illud, Omnis pena est involuntaria, verum est secundum se comparando ad voluntatem sequentem affectionem commodi. tamen potest esse voluntaria voluntate antecedente, scilicet voluntaria applicatione causatum, ad quas sequitur: potest etiam esse voluntaria voluntate iusta acceptante, & hoc voluntate sequente affectionem iustitiae: quae si acceptat quiquid habet ordinem ad peccatum se volendum iuste: ista autem tristitia potest esse ad aliquid per se iuste volendum.

De secunda conclusione hujus articuli, scilicet de vocabulo *penitentiae*, dico quod sic in punitione ista voluntaria convenit multa consideranda. Primo quidem velle punire, quod est *velle imperativum*, seu efficac conjungens causas proximas ipsius punitionis passivae: Et secundo, velle peccasse, vel displicere, quod est causa partialis proxima penae, licet non intendat penam illam. Et tertio velle acceptare punitionem illam passivam iam infligendam. Quarto patienter punitionem. Et hoc quatuor sic breviter explicantur. Vindicare commissum. Detestari commissum, Acceptare penam infligendam. Patienter ferre penam infligendam. His quatuor correspondent alia quatuor ex parte termini voluntatis, in quibus est idem materiale, scilicet *puniri*. Formalia autem quatuor superaddita, scilicet volitum a voluntate causante, a voluntate desistente, a voluntate acceptante, & a voluntate patienter ferente. Patet autem, quod non est per se idem volitio aliqua praedicta, & ipsa punio passiva: & ita non quod per se significat volitionem, & connotat punitionem, non significabit nisi voce punitionem, connotando volitionem: & per consequens si aliqua dicitur significet per se punitionem volitam, & penae volitionem, hoc erit aequivoco. Item, si significat istam quadruplicem volitionem, hoc erit aequivoco. Iste ergo octo potest imponi aliquod idem nomen aequivoco. Sed faciamus vim in hoc nomine *penitere*, & sequendo auctoritatem, & usum loquentium de hoc nomine, cum *penitere* sit penam tenere secundam etymologiam nominis, & tenere penam importet actionem respectu penae, non tantum passivum ipsius, ut in aereus proprie videtur significatum hujus vocabuli consistere in quatuor primis: & sic fit quadruplex descriptio: vel descriptio ejus, quod est *penitere*.

Prima est ista: *Penitere est vindicare peccatum a se commissum*; & patet quomodo est ibi tenere penam, quia applicat sibi ipsi penam, est tenere eam, & istud potest intelligi, sive applicet, vel infligat penam in effectu, vel affectu: quia vindicare non minus vindicat, est quandoque penam non sequatur propter defectum alicujus causae secundae, dum tamen ipse aequo, & iusto intendat penam infligere. Secunda descriptio est: *Penitere est detestari, vel odire peccatum a se commissum, vel displicentiam habere de hoc peccato a se commissum*; & patet quomodo est ibi penam tenere, quia in causa proxima partiali. Et istud potest intelligi de *nolle, vel detestari, vel displicentiam habere de hoc peccato sub propria ratione, vel in generali simul de quocumque peccato a se commissum, & iterum de*

dis-

displicentia formalis, vel virtuali. Et est displicentia virtualis quicunque actus voluntatis virtualiter includens illam displicentiam, sicut quodammodo causa includit effectum, licet effectus in se non cauteat: sicut omnis nolitio oritur ex aliqua volitione, omnis displicentia seu nolitio peccati, licet formaliter non sit, potest virtualiter inesse in aliqua volitione, ad quam nata est consequi talis displicentia. Tertia descriptio: *Penitere est penam infligendam pro peccato suo commissum gratanter acceptare*; & patet quomodo hoc est penam tenere, sicut obsequium tenere per actum voluntatis, & illud non potest intelligi de *acceptare* formaliter, vel virtualiter; sed aliqua alia acceptatione in qua illa includitur virtualiter, sicut volitio entis ad finem includitur in volitione finis. Quarta descriptio est: *Penitere est penam sibi pro peccato suo infligendam patienter sufferre*; & patet quomodo hoc est penam tenere, quia non abjicere remunerando, unde committitur dicitur in hoc sensu sustinere, id est, sub actione agentis indigentis se illi conformando tenere. Omnis punio voluntaria continetur sub aliquo quatuor modorum penitentiae; sed ad deletionem cuiuslibet peccati mortalis actualis post baptismum commissi, requiritur aliqua punio voluntaria; ergo ad ejus deletionem requiritur penitentia dicta aliquo illorum quatuor modorum.

Ex his ad solutionem quaestiones arguitur breviter sic: Ad deletionem culpa mortalis post baptismum commissi requiritur punio voluntaria, vel voluntas punitionis; sed neutrum istorum potest esse sine penitentia; ergo ad deletionem peccatum mortale actuale post baptismum requiritur penitentia &c. Prima propositio est probata in secundo articulo, & in principio istius tertii articuli. Secunda patet in secunda parte istius articuli. Ex ista ratione patet potest, quomodo conclusio, in qua stat solutio quaestiones debet intelligi, scilicet quod penitentia requiritur ad deletionem peccati &c. non enim intelligitur nisi de penitentia actuali, id est actu penitendi, qui est passus tenentia (ut ita loquar) actualis nec de illo actu intelligitur nisi indistincte accipiendo ad quodcumque quatuor praedictorum.

An autem oporteat istum actum esse realem, seu virtuosum, vel non, & etiam incontinentem, vel non, de hoc in sequenti quaestione intelligitur etiam conclusio de *requiri* non simpliciter necessario, cuius oppositum includit contradictionem, quia potest Deus remittere sine omni actu illius, cui remittitur; sed nec de *requiri* necessario supposito actu hominis, cui remittit. Possit enim Deus remittere per aliquem mortuum eventem dilectionis in Deum absque quocumque quatuor praedictorum actuum suo propria ratione, utpote in actu servoris ad martyrium statim sustinendum, ubi forte non esset cognitio de aliquo peccato mortali prius commissum, nec per consequens aliquid *penitere* praedictum, & hoc formaliter, licet virtualiter in illo mortuo esset *penitere* juxta secundam significationem; & istud probatur, quia nullus excluditur a regno caelorum, qui facit illud quod

quod simpliciter est necessarium; sed est possibile aliquens usque ad instantem A, existentem in peccato mortali ab instanti A, necessitati ad toto corde instantium circa actus distrahenes a cogitatione de peccato commisso, utpote statim expulso martyrio archissimo. Et propter hoc dictum est in conclusione: quod requiritur ad hoc ut peccatum mortale regulariter deleatur; quia dicitur regulariter fieri quod fit secundum regulas determinatas a sapientia divina; quarum huc est una, quod peccatum commissum non deleatur sine displicentia de peccato commisso, quæ apparet peccato rationalibus; quia sicut peccatum avertit a fine & convertit ad creaturam: ita rationabile est, quod non deleatur nisi per motum oppositum avertentem a peccato, sive a creatura, ut circa illam fuit peccatum; & convertentem ad Deum. Ad hoc autem quod est displicere de peccato commisso possunt reduci alia tria membra ejus, quod est *punire*. Specialis autem conditionis, qualiter actus penitentiæ, vel puniendi requiritur ad peccati deletionem, an ut dispositio prævia, an ut concomitans, patet in proxima questione.

Ad argumenta. Ad primum patet ex primo articulo. Ad secundum non probat, nisi de potentia absoluta Dei, & hoc concessum est in secundo articulo principali. Sed si arguas, quod de potentia ordinaria potest remittere sine pena, sicut & homo lætus. Respondet, remissio ejus non est per mutationem voluntatis ejus; quia voluntas ejus & in se, & in actu volendi tam absoluta, quam inquantum transit super objectum permanet uniformiter: & per consequens si in æternitate vult aliquem puniendum esse pro aliquo tempore, vult illum semper puniendum pro illo tempore, nisi aliquid in creatura mutetur: non sic autem de voluntate hominis irati, quæ mutatur quantum ad actum volendi, & nolendi. Ad tertium de penitentia damnatorum, dico ut prius dictum est ibi, quia vero non penitent: quia nec penam tenent, cum non sit ibi voluntarium, sed remittuntur. Sed ad hoc quod dicitur de Iuda.

Respondet quod non quicunque actus penitentiæ sufficit ad deletionem peccati, ut patet ex sequenti questione: sed oportet, quod fit actus ordinatus, & maxime ex circumstantiis suis, quæ prima est inter circumstantias actus moralis; scilicet adus non penitentium cum illa circumstantia, id est ex dilectione Dei. Ad ultimum patet aliquoties ex questione sequenti, quis actus penitentiæ, vel penitentiæ sit dispositio prævia ad deletionem peccati, & quis formaliter requiritur, in quo deletur peccatum: & ille secundus est tantum bonum, quantum malum est peccatum: quia malum peccati consistit in aversione a fine; ergo & bonum reduktivum consistit in conversione ad finem. Ita autem præsertim convertit in Deum actus conversionis, sicut avertit actus peccati: sicut autem non est in secundo actu realiter bonitas intensiva infinita, ita nec in actu peccati malitia intensiva infinita; quia non est major malitia, quam bonum quod privat; non privat autem bonum ab actu, nisi quod natum esse in se actui; & actui autem cum sit quid futurum, non est natum luelle bonum, nisi futurum;

est

est ergo præsertim infinitas & malitia in peccato, & bonitas in actu opposito propter infinitatem ipsius objecti, a quo peccatum avertit, & ad quod actus bonus convertit, & hoc non est nisi infinitas participata, vel magis secundum se in ipso actu propter infinitatem realem, & simpliciter in ipso objecto.

QUESTIO II.

Virum actus penitentiæ requiritur ad deletionem peccati mortalis sit actus aliquis virtutis?

Quod non, quia *passivitas non laudatur*. 2. Ethic. actus autem virtutis laudabilis est, ex eod. em. 2. *penitere* autem est passio quedam, sicut & ipsa penititio quam includit. Item, actus virtutis est voluntarius, quia electivus ex 2. Ethic. sed penitentia est involuntaria, nihil enim est penale, nisi quod est contra voluntatem, & tunc ut prius. Item, virtutes fuissent in statu innocentie, & remanebunt in patria, quia natura remanet perfecta, & insit tunc perfecta, cujus natura sunt illæ virtutes: sed nec in innocentia, nec in patria potest esse penitentia: quia nec aliquid malum de quo habetur penititio voluntaria: ergo &c. Item si *penitere* esset actus virtutis, non esset alterius potentie quam voluntatis, patet inductive; sed non est aliquid *velle*, quia respectu mali, nec *nolle*, nisi hoc, quod est nolle peccati: sed ille non est actus virtutis: quia nec electivus; nam electio non est respectu impossibilis, præteritum autem non fuisse est impossibile Deo ex 6. Ethic. Hoc *sola privatur Deus ingenitè facere quæ facta sunt*. Item, aut est actus virtutis acquiescens, aut insit; non primo modo, quia acquiescit potest manere cum peccato mortali, & actus ejus actus autem penitentia virtutis, quia scilicet moralis. Nec insit; patet per inductionem de fide, spe, & charitate; & etiam per probationem communem, quia quilibet virtus infusa, & actus ejus habet immediate Deum pro objecto, non sic ille actus; sed peccatum; ergo &c. Oppositum per Magistram in littera patet.

In ista questione. Primo oportet videre, quomodo *penitere* possit esse actus virtutis; & hoc secundum quemlibet istorum quatuor modorum, qui positi sunt in *quest. præcedente art. 3.*, & cujus virtutis. Secundo, an aliquis istorum actuum requiritur ut actus virtutis, & ideo indifferenter tractandum est in utroque articulo de quatuor, quia *quest. præced.* non habetur, quia quodcumque istorum sufficit.

Primus articulus istorum duorum habet conclusiones quatuor, iuxta scilicet quatuor significationes, & rationes penitentia prius tractas de penitentia. Juxta primam significationem. Prima conclusio est hæc: *penitere* potest esse actus virtutis mediana, quia potest esse actus contrarius recte rationi. Hoc probatur, quia secundum rectam rationem quilibet legislator videt transgressionem legis, unde Philosophus in *1. 2. 9. Eth.* post doctrinam de virtutibus, & virtutibus;

Lect. 1.º

D 4

114.

statim introducit legem positivam, tanquam ultimum vitiorum, & penultimateum virtutum; patet in *fine* 10. *Ethic.* Sed si legislator recta ratione vindicat, minister recta ratione exequitur, quia universalius rectitudinem in actu subministratio est ex conformitate ejus ad agens, cui subministrat ergo secundam rectam rationem potest aliquis ut minister legislatoris vindicare peccatum commissum contra legem; & hoc ipsum, in quem est sibi commissum esse ministerium ut minister legislatoris vindicare peccatum commissum esse ministerium. Sed vindicare potest etiam legem suam ad vindicandum in seipsum pro peccatis que commisit: *penitere* autem primo modo dicit sic vindicare in seipsum: *tenere* enim quando non additur datus exprimit qui teneatur in seipsum, quod sibi ipse teneatur. Hoc patet ex communi sermone. Ideo Deus licet puniat peccatorem, non dicitur *penitere*, quia non sibi, sed alteri penam infligit. Sed sibi ipse infligit dicitur *penitere*, id est sibi penam applicando tenere. Quantum etiam ad hanc conclusionem non dico, quod *penitere* primo modo semper sit actus virtutis, id est, electus a virtute; sed virtutis, id est, natus elici a virtute, vel generare virtutem, qui conformis recte rationi, & in hoc est bonitas moralis actus humani; accidit tamen quantum ad per se rationem bonitatis moralis, quod sit a virtute generata, vel virtutem generans, ut dictum est (a) *lib. 3.* Secunda inquisitio est, cuius virtutis sit ille actus *penitere* secundum penam significationem hujus vocabuli *penitere*. Ad cuius declarationem penam significationem hujus requirit præcognitionem distinctam ejus, de quo *penitere* secundum istam intellectum; ubi dico quod illa se habent per ordinem: Imperare causam proximam partialium tristitia conjunctionem: Et ipse causa partialis conjunctione, que inter effectus proximos illius imperii; & ultra sequitur effectus remotus hujus imperii, ipsa scilicet tristitia: postea potest sequi contentam tristitia, que est actus voluntatis habens tristitiam pro objecto, & tandem gaudium de tristitia secundum illud Augustini. *Peccator de peccato dicitur, & de deo dicitur gaudere:* (b) Patet distinctio istorum a primi quidem, scilicet imperii a causis proximis tristitia, sicut causa principalis & remotæ a causa secundaria, & propinqua. Secundi a tertio, sicut causa ad effectum, & actionis a passione. Tertij a quarto sicut obiecti ab actione. Quarti a quinto; sicut obiecti a passione appetitiva de illo obiecto. Dico ergo quod omnium istorum quæque nihil est vindicare pro se, nisi primum, scilicet ipsum *velle* imperativum. Probatur, quia in vindicantem interiori idem peccatum, sub eadem ratione, & sub eisdem circumstantiis vindicandi potest esse actus vindicantem de eisdem rationis, sed in vindicantem in seipsum, & in alium secundum eandem rationem hinc inde, non potest esse aliquid uniusmodi præter primum istorum; ergo &c. Hoc potest probari a posteriori, quia

quia illa actiones pertinentes ad secundum possunt esse a causis quantumcumque indeterminatis, sed jure vindicare non. Sed istud non dico, quia declaratio (arguendo) statim ex prioribus ostenditur. Sufficit ergo hic habere quod possibile est invenire aliquem actum prorem causis proximis tristitia, & conjugentem illas causas, sicut declaratum est in articulo ultimo solutionis præcedentis, & per consequens ille actus præcedit tristitiam, ac per hoc contentam, & multo magis gaudium de tristitia. Illum primum actum possibilem voco *vindicare*, sive penam infligere pro commissis, & per consequens habemus distinctam rationem ejus, quod est *penitere* secundum primam significationem nominis. Hoc supposito, sit hæc conclusio: *Penitere* est actus specialis virtutis. Probatur, quia ille actus natus est habere speciale obiectum, & speciale circumstantias ordinatas. Obiectum, scilicet peccatum vindicabile; & circumstantias que conveniunt actui, ut recte tendenti in tale obiectum, scilicet finem, modum, & hujusmodi. Ulterius in specialibus hæc conclusio: *Penitere* non est actus alicujus virtutis intellectualis. Patet statim, quia est actus appetitus, ut appetitus, quia imperare intellectui, ut consideret, & voluntati, ut deservat, ut dictum est in præcedenti solutione; hoc *imperare* non convenit, nisi appetitui, vel voluntati, neque enim aliqua vis sensitiva potest imperare intellectui, & voluntati; & conjugere eos in actibus suis; neque intellectus sibi, & voluntati; sed sola voluntas sibi & intellectui, juxta illud Augustini de Trin. *Voluntas copulat parentem cum prole.* (a) Hoc quantum ad intellectum: quantum ad voluntatem, voluntas imperat sibi. Hæc etiam conclusio iterum patet, quia virtus intellectualis dicit verum esse, vel non verum esse, sive in seculum esse, sive in æternum; hæc autem inclinatio ad se agendum, non autem ad dicendum se esse agendum. Est ergo actus non virtutis intellectualis, sed appetitiva. Sequitur alia conclusio, quod non est appetitiva virtutis ordinatis secundum seipsum, cuiusmodi virtus temperantia, & fortitudo; ergo virtutis ordinatis ad alterum, cuiusmodi est iustitia. Hoc argumentum tenet supponendo illam famam virtutem appetitivam distinctionem, quod ad duo genera omnino reducitur. Antecedens probatur, quia actum illum vindicandi potest aliquis eodem modo secundum rationem rectam exercere in alterum, sicut in seipsum; si etiam exerceat in seipsum, non exerceat in se, nisi ut in alterum; quia non exerceat in se, nisi inquantum sibi committitur a legislatoris in illum rem vindicare: sed æquum, quod ille, cui committitur ut minister iudicis, sit ille reus, quia eodem modo exerceat secundum eandem rationem ministrum in reum, si esset omnino alius in persona; ergo illa virtus, cuius natus est esse ille actus continetur sub iustitia, prout in generali dicitur iustitia omnis virtus ordinativa ad alterum, vel quasi ad alterum. Nec obstat, quod ille in actu illo ordinatur ad seipsum, quia non ad se, nisi ut alterum, ut scilicet minister iudicis in reum con-

quæ legem, in quem commissæ est sibi auctoritas a iudice. Ulterior inquitio est, sub iustitia continetur amicitia, loquendo de iustitia in communi, quia amicitia est virtus ad alterum. §. 8. & 9. *Ethicorum*. Nunquid ipse actus iste puniendi, vel puniendi est actus amicitia? Videtur quod sic, quia amicitia est actus reconciliandi amico; talis est ista. Item, a amicitia est corrigere amicum, ut sit dignus amari, illo quod repugnat honestæ amicitia excludit; istud vindicare est corrigere amicum, ut fiat digne amabilis; ergo &c. Probatio minoris, quia si tantum punitur, ut vindicetur, vel ut vindicans fatiatur, crudelitas est: ergo non est secundum rectam rationem vindicta, nisi ut ille in quem vindicatur, corrigatur; sed hæc est amicitia, nisi &c. Confirmatur per Philosophum. 2. *Rhet. cap. 11.* ubi vult quod differret correctio a punitione stricto accepta in hoc, quod correctio fit correctæ gratia, ut scilicet emendetur: punitio autem fit punientis gratia, ut fatiatur. Secundum videtur esse omnino crudelitas, & hoc tam in ministro, quam in iudice, quia propter eundem finem debet minister exequi, propter quem fert iudex sententiam; quia finis ejus debet esse finis moventis ipsum, & per consequens quod est crudelitas in uno, & in alio. Respondeo, vindicare etiam quando est actus ordinatus, non est actus amicitia ad illum, in quem vindicatur, quia vindicta proprie respicit correspondentiam pænæ ad culpam secundum legem, licet non concomiter correctio ipsius puniti. Unde & quandoque iusta vindicta fit exterminando reum, & patet, quod non corrigendo; nec tamen crudelitas est, ut procedit secunda obiectio, quia finis istius pænæ est conservatio legis, & ulterior finis ille, qui est finis legis. Finis autem legis postea ab homine legem ferente non est ipse legislator, vel bonum ejus, sed bonum commune: propter istum ergo finem est conservatio legis, & ita rationabilior est vindicta inquantum est ad istum finem, quam si esset ad bonum privatum persone pænæ. In proposito autem posset dici similitur, quod lex divina est propter bonum commune hominum, quibus data est: & punitio casuumque contra legem peccantis: & hoc secundum est propter observationem legis, & ulterius propter bonum commune illorum, quibus data est lex: tandem vero propter ipsum legislatorem: & hoc ideo hic, non autem in lege posita ab homine: quia hic bonum legislatoris est simpliciter melius bono communitatis, non autem ibi: actus autem amicitia, qui imperat aliam punitionem amari, ut amari, non imperaret istam, nisi præcise propter correctionem amari; & licet illa esset via corrigendi, tamen si alia esset via facilis corrigendi, amicitia ut amicitia magis imperaret istam aliam viam. Per hoc patet ad instantiam primam, quia si per penitentiam reconciliatur quis Deo, tamen Deus non vindicat principaliter de illo ut reconciliet ipsum sibi, vocando reconciliationem redactionem in amicitiam pristinam: sed ut reconciliatus immunitis a pænâ debita habeatur, soluta jam pænâ illa, quam vindicans requirit solvi per se propter correspondentiam præmissam ad culpam secundum legem. Consimiliter ad secundam, dico enim

quod vindicare non est principaliter propter correctionem puniti, licet quandoque illa correctio sequatur; sed est per se ut ordinetur culpa per pænâ, & ut observetur lex punitiva in quem transgressum est. Et cum dicitur hoc esse crudelitas: patet quod non, quia ulterior finis est bonum commune: sed crudele esset, si statet in fine alio, quam communi, vel quam in fine ultimo. Ad confirmationem de primo *Rhet.* dico quod corrigens corrigi gratia correcti, sed vindicans non gratia correcti per se, nec gratia sui ipsius, sed gratia legis, & ulterius gratia boni communitatis, & tunc gratia sui, si est ipse finis legis, ut est in proposito. Est ergo iste actus iustitiam punitive, quæ distinguitur contra iustitiam commutativam: & etiam contra amicitiam. Et forte iste actus est nobilior inter omnes actus iustitiam in communi; excepto actu præmiationis: quia ille est proprius legislatori, & nulli alii conveniens, nisi ex commissione a iudice, quasi vice ejus. Alii autem actus commutativus amicitia, & hujusmodi possunt convenire regulariter quibuscumque personis: actus autem qui excellentiori persone est proprius, cæteris paribus est excellentior. Sed adhuc actus præmiandi excellentior est, quia cum ista excellentia communi utrobique, scilicet quod soli principi convenit præmiare habet utrumque extremum nobilius, & scilicet meritum pro quo fit, & præmium quod conferitur, & personam ineratam cui conferitur, quæ excellunt pænâ, culpam, & personam ream cui pænâ infligitur. Alia conclusio est ista, quod ille actus est actus voluntatis, cuius est imperare intellectui, & voluntati: & hoc imperio pertinet ad irascibilem, & potentiam aliquam: habentem in se aliquid simile virtuti irascibili: sicut enim irascibilis in sensitiva suo modo vindicat, ita & illa potentia, quæ imperat vindictam in parte intellectiva, habet quoddam simile irascibili: nunc autem non convenit in parte intellectiva hoc imperare, nisi voluntati. Ex hoc potest esse dubium de habitudine istius virtutis ad charitatem: ex quo enim iste per actum suum imperat actum charitatis, videtur esse superior charitatis. Sed oppositum est manifestum, quia per se obiectum charitatis est Deus sui ratione obiectiva nobilissima: proprium autem obiectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem est vindicandum. Et ex hoc patet, quod penitentia non tantum non est virtus theologica, ut prius argutum est, sed nec virtus simpliciter nobilissima inter illas, quæ sunt electæ obiectum creatum. Ad istam ergo instantiam de usu virtutis dico, quod voluntas secundum diversos habitus potest uti seipsa quasi circulariter hoc modo, sic dilectione Dei in se, quæ est actus charitatis, potest imperare actum voluntatis vindicativum peccati, & e converso. Ex actu imperativo vindicandi potest imperare actum dilectionis Dei in se, ad quem sequatur nolitio, vel displicentia de aliquo peccato commisso, & sic iustitia de illo peccato; ergo charitas potest uti actu penitentiam, & etiam actu cuiuscumque virtutis in voluntate, vel in intellectu, & penitentia etiam potest uti charitate, & quacunque virtute in intellectu, & voluntate, quæ potest esse principium considerationis, & nolicentia

obijci, de quo vult causare tristitiam. Dico ergo quod illa est superior simpliciter, cui magis ex objecto convenit impetare: sed charitativè ex objecto, scilicet sine ultimo magis convenit uti quacunq; alia virtute, quam e converso: sicut semper in actibus; & potestabilibus ordinatis habens finem superiorem regulariter utitur inferioribus omnibus. Sic apparet de primo actu penitentiæ, sive de prima significatione hujus vocabuli *penitere* quid sit, *quæ velle imperativum*, & cuius effectus, quia tristitia. Et per quæ quali per instrumenta, & quia per causas proximas tristitiæ, scilicet considerationem actualem, & notionem actualem aliquis obijci. Et circa quod obijctum, quia circa peccatum commissum. Et a quo, quia a ministro habente commotionem puniendi a legislatore. Et propter quæ finem, quia propter oblationem legis, & ulterius propter bonum commune. Ac per hoc, quod ille potest esse actus virtutis specialis, quia cuiusdam specialis iustitiæ. Et cuius subiecti, quia voluntatis. Et quam comparationem habeat ad alias virtutes Theologicas, & acquisitas. De secunda significatione hujus vocabuli *penitere*, scilicet de eo quod est detestari peccatum commissum, vel displicentiam habere de commissio. Dico, quod iste potest esse actus virtutis. Probat ut prius; quia potest esse actus electivus concors rationi rectæ. Ratio enim recta sicut dicitur complacendum esse in bono honesto, ita dicitur displicendum esse in malo inhonesto. Et ex hoc patet secunda conclusio, scilicet cuius virtutis potest etiam esse actus, quia nullius specialis, sed cuiuscunque appetitivæ; quæcunque enim virtus inclinât ad complacendum in bono honesto, inclinât etiam ad detestandum, & ad displicendum de malo inhonesto opposito, utpote castitas de aliquo inordinato contra castitatem inclinât ad displicentiam, & humilitas de actu inordinato superbie, & sic de cæteris: qualibet tamen inclinât ad talem displicentiam est virtus appetitivæ, quia nihil est principium odendi, sicut nec amandi, nisi virtus appetitivæ. Et ex hoc patet, quod male ponitur detestatio peccati esse actus penitentiæ virtutis, loquendo de penitentia virtute primo modo, ut est species iustitiæ: quia iste actus est multum generalior, quam possit esse ille, qui est proprius actus penitentiæ iustitiæ elicitus ab ea. De tertio, quod est gratanter acceptare penam inflictam pro peccato commissio.

Dico, quod etiam iste actus potest esse virtutis, quia concors rectæ rationi. Et secundo quod potest esse multarum virtutum, quarum tamen quælibet sit appetitivæ, quia quicquid potest esse principium acceptandi aliquid obijctum, potest esse principium acceptandi aliud in ordine ad ipsum: per diversas autem virtutes potest acceptari aliud & aliud obijctum in ordine, ad quod possit pena infligi pro peccato acceptari. Nam si ex charitate amator Deus, ex charitate potest acceptari pena in quantum reductiva est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute spei desideratur Deus, ut bonum mihi, ex virtute spei acceptatur pena, ut ordinans ad vitam præmium attingibile. Si ex virtute timoris cavetur amissio vite æternæ, ex ipsa potest

accē

acceptari pena, ut excludens illam amissionem. Si ex amicitia honesta ad seipsum diligit quis sibi mundiciam & innocentiam, ex illa potest acceptare penam quæ solvit tratum, qui insuit.

De quarto, scilicet patienter terere penam inflictam, patet quod potest esse actus virtutis, & specialis virtutis, quia patientiæ.

De secundo principali, scilicet, *an penitere*, ut actus virtutis, requiritur ad deletionem peccati. Dico, quod non, ut actus unius determinate virtutis. Secundo, quod non, ut actus cuiuscunque virtutis genitæ talis, vel talis indifferenter. Et tertio, sicut actus simpliciter perfecte circumstantionatus, nunquid ut formatus, vel sufficit ut informis?

Primum patet ex dictis, quia *penitere* secundum quantumque quatuor significationum prædictarum sufficit, ut probatur auctoritate Frech. 18. & 23. *Quantumque hira ingemisset peccator* &c. Actus autem primus, & alii non necessario sunt aliquis ejusdem determinate virtutis: sed primus iustitiæ, ultimus patientiæ, duo intermedium cuiuscunque virtutis appetitivæ. Secundum probat, quia actus æque perfectus secundum omnes circumstantias morales, æque est acceptus Deo ad peccati deletionem: sed sine virtute genita potest haberi actus æque perfectus secundum omnes circumstantias morales, sicut cum virtute jam genita; quia secundum perfectum dicamur intellectus de aliquo agibili potest esse periclitia electio circumstantionata omnibus circumstantiis, quæ sit prima generativa virtutis: & per consequens actum rectum perfecte circumstantionatum, qui requiritur ad deletionem peccati, non oportet esse virtutem, ut a virtute jam inexistenti: sed potest esse virtutis, ut est primo generativus virtutis.

De tertio dico, quod actum aliquem humanum requiri ad deletionem peccati potest dupliciter intelligi, vel ut dispositionem præviam, vel ut concomitantem. Primo modo sufficit actus informis, immo semper est informis, quia dispositio prævia ad peccati deletionem est semper sine gratia, & charitate, a cuius solius inharrentia & inclinatione ad actum, dicitur actus formatus. Secundo modo dico, quod requiritur actus formatus: nam in illo instanti in quo deletur peccatum, charitas inest, & per consequens, si actus requiritur ut concomitans, requiritur ut formatus. Ad hujus intellectum sciendum, quod peccator in peccatis existens (eo modo quo dictum est in *preced. quest. artic.* 1. peccatum manere post actum) potest ex naturalibus cum communi influenza considerare peccatum commissum, ut offensivum Dei, & ut contra legem divinam, & ut aversivum a Deo, & ut impedivivum præmiis, & ut induktivum supplicii, & sub multis talibus rationibus: & potest volentes ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis, illud peccatum sic considerare detestari, & ille motus potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ. Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis. Non est enim verisimile, quod necesse sit propter peccatum istud remanens, actum quemcunque circa peccatum com-

D d 4

missum

nissim esse desiderium in aliqua circumstantia moralis. Ille autem, cuius dicitur attritio, & est dispositio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quae sequitur in ultimo instanti altissimi temporis, in quo tempore ista attritio duravit. Nec est certum, si Deus talem attritionem velit esse dispositionem ad justificationem, nisi sit per se moraliter circumstantionata, scilicet si est aliqua circumstantia inordinata circumstantionata, non est dispositio ad iustitiam, quia tunc est actualiter offensiva. Sed si est tantummodo carens aliqua circumstantia debita ex inconsideratione intellectus, vel omissione voluntatis quantum ad illam circumstantiam, tunc dabitur esse dispositio sufficienter ad iustitiam. Sed si attritio perfecte circumstantionata in genere moris, videtur omnino dispositio sufficienter ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam. In termino, inquam, quem Deus praefixit debere esse terminum illius motus attritionis, quam usque tunc vult continuari. Vel enim oportet dicere quod iustificetur peccator sine omni dispositione sufficiente de congruo ex parte eius, & per consequens difficile est salvare, quod apud Deum non sit acceptio personarum, ut dicitur *est lib. 2. dist. 6. qu. 2. & dist. 9. qu. 1. unica*, vel nulla potest esse sufficienter dispositio ad illam justificationem, quam ista attritio perfecte circumstantionata in genere moris, & tunc in ultimo instanti, vel aliquo usque ad quod Deus determinavit attritionem debere durare ad hoc, ut sit meritum de congruo ad justificationem, in iudicatur gratia, & tunc simpliciter deletur peccatum. Et si manet idem motus contra peccatum in esse naturae & moris, qui prius, idem motus, qui prius fuit attritio, in illo instanti fit contritio: quia in illo instanti fit concomitans gratia, & ita actus fornicatus, quia habens secum charitatem, quae est forma actus, ut hic loquimur. Ibi tamen oportet distinguere signa naturae inter actum, ut est talis in esse naturae & moris, & inter charitatem, & inter actum, ut est formatus, qui a in primo actu naturae est ibi actus talis, in secundo charitas, in tertio actus formatus a charitate iam ineluctante, & inherente: & sic attritio fit contritio sine omni mutatione re ipsi actus.

Contra, ergo non per contritionem deletur culpa, quia non est contritio, nisi in tertio signo naturae, & in secundo deletur; neque etiam per contritionem illam, ut per meritum, quia sequitur illam deletionem. Potest ergo dici, quod Deus disponit per attritionem in aliquo tempore, tanquam per aliquod meritum de congruo, in aliquo instanti dare gratiam, & pro illa attritione, ut pro merito iustificat, sicut est meritum justificationis. Et licet non continuaretur idem actus circa peccatum in genere naturae, & moris, qui prius, adhuc in illo instanti infunderetur gratia, quia iam praecessit meritum sufficienter de congruo. Est enim quod tunc in ultimo instanti intellectus & voluntas cessant a praeterito actu, convertendo se ad aliquem alium actum impertinentem: quare non iustificabitur iste in ultimo instanti; sicut alius habens in illo instanti actum, quem prius habuit? Ille enim, qui in illo instanti habet actum, per actum huius, ut in illo

illo instanti, non iustificatur: sed per actum, ut praecessit in tempore, & hoc modo habuit alius actum illum. Et secundum hoc diceretur, quod non oportet ad deletionem peccati continuari aliquem actum penitentiae neque formatum, neque informem, sed tantummodo in tempore praecedere usque ad illans actum penitentiae informem. Sed quid, si in illo instanti ponat obicem? sicut enim potest tunc habere actum impertinentem, ita oppositum. Diceretur, quod non potest ponere obicem, quia jam meruit, ut in illo instanti deus sibi gratia.

Sed hoc nihil est, quia etsi non possit quis in instanti praemortis post meritum de congruo ponere obicem, ut in instanti mortis non potest quis demereri: tunc enim merito suo debet reddi impeccabilitas. Tamen qui meruit de congruo ponere obicem in illo instanti, in quo recipere premium meriti de congruo, si non esset obex: & sicut in termino meriti de congruo potest non habere illud quod meruit, quia ponit obicem: ita est venisimile, quod nisi contritus in illo instanti adum similem in genere moris, non habebit illud, ad quod talis actus disponit merito de congruo. Et ideo prima via videtur rationabilior, scilicet quod per actum penitentiae informem, sed plene, vel semiplene circumstantionatum in genere motus deletur peccatum, ut per dispositionem praeviam, & meritum de congruo: per actum autem penitentiae qui est formatus, & dicitur contritio, deletur ut per actum concomitantem. Et cum arguitur, contritio ut contritio sequitur deletionem. Respondetur, actus qui est contritio, in eodem instanti temporis praecedit naturae deletionem, licet ut contritio, hoc est, ut formatus, sequatur deletionem ordine naturae, & sic debet concedi in sensu divinis, quod per actum qui est contritio, deletur peccatum, ut per dispositionem omnino proximam, nec est inconveniens, immo conveniens dispositionem proximam simul esse cum forma, ad quam disponit. Si quaeratur de illis quatuor actibus praedictis comparando inter se, quae eorum sit simpliciter dispositio magis conveniens ad deletionem peccati. Respondetur, quod est per plures virtutes & perfectionibus actus elicitur, tanto est melior actus: ergo primus si eliciatur a sola iustitia mediate vel immediate, & secundus a charitate, vel tertius eliciatur ab alia virtute perfectiori, utpote a charitate, patet quod secundus, vel tertius erit excellentior primo: eodem modo est intelligendum de quarto? Ille enim est simpliciter imperfectissimus, & quia minus habet de ratione voluntarii, & quia a minus perfecta virtute. Sed si iustitia imperante actum in primo modo moveatur ad suum imperium ex acta charitatis (sicut dicitur est supra possibile esse) tunc actus primus habet duplitem bonitatem, & ex iustitia proxima imperante, & ex charitate remota imperante actum illum. Similiter, si iustitia imperet in primo modo utrumque charitatis, ut cause proximae respectu tristitia inherens, actus ille charitatis est eo perfectior, quia a duabus virtutibus, quod fit ab una tantum. Si autem quaeritur quae istorum actuum est efficacior respectu tristitia inherens.

Respondens, duo ultimi supponunt tristitiam jam inherrentem. Duorum autem aliorum potest esse mutus excellentia inducens tristitiam; quandoque enim ex charitate, sive ex contemplatione Dei tristitia inest quasi quadam detestatio peccati; & sequitur tristitia maxima, nullo adhuc posito actu iustitiae respectu illius tristitia; quandoque autem primo inest actus iustitiae & intentus in se; & tamen causa sine proximo; scilicet intellectus in considerando, & voluntas in desiderando non efficaciter moventur ex illo appetitu iustitiae, forte quia caret habitibus, qui essent principia perfectionis in actibus suis; & licet illa moventur quandoque; non tamen sequitur tristitia. Quod etiam potest esse propter multas causas, propter hoc est quandoque, quia sicut intellectus conformatur parti sensitivae in nobis: ita & appetitus intellectus appetitui sensitivo, quantum ad facilius condescendunt, & tristari. Cujus ergo appetitus sensitivus non est natus tristari, vel dolere, ejus voluntas non facilius tristatur. Ex hoc sequitur, quod aliquis habet maximum actum poenitentiae primo modo, & tamen nullum effectum, vel modicum: & aliqui sine omni actu poenitentiae primo modo, habent maximum effectum ejusdem rationis cum illo, qui natus est esse effectus poenitentiae: Et quod ille effectus sit major vel minor, bene est aliqua excellentia in ordine ad deletionem peccati. Sed simpliciter major est excellentia actus ad actum, ut quos actus sequitur sine ille tristitia, quia plus delet meritorie peccatum actus etularivus tristitia, quam ipsa tristitia.

Ad primum argumentum principalem dico, quod est tristitia sit passio, tamen impetare eam est actus, & sicut dictum est prius, tristitia non est actus virtutis poenitentiae, etiam quomodoque accipiendo poenitentiam; sed poenitentiae virtutis primo modo acceptae tristitia est effectus remotus; effectus autem proximus causae immediate ipsius tristitia.

Ad secundum dictum est in praecedenti quaestione, quomodo tristitia potest esse voluntaria secundum affectionem iustitiae, & esse quod pena esset involuntaria, non sequitur, quia actus elicitus a voluntate sit voluntarius.

Ad tertium potest dici dupliciter. Uno modo, ex quo virtus est in nobis supplementum defectus naturalis (unde non ponitur virtutes morales a quibusdam in Angelis) nec in statu innocentium fuisse tales in natura, quales nunc, nec ergo tunc fuisset necessitas habendi virtutes omnes, quas & nunc; & hoc specialiter de virtutibus, quae non habent bonum pro obiecto, sed malum, ut poenitentia: quia in statu illo non fuisset illud malum, sicut forte nec tunc fuisset poenitentia, quia nec materia poenitentiae.

Alteri dici potest, quod poenitentia est habitus inclinans ad facilius vindicandam in se rem: & quod in se, hoc est materiale, quia formalis ratio virtutis esset eadem, si committeretur sibi vindicare in alium rem. Reatus autem, & innocens possunt habere habitum prompte vindicandi in alium rem; ergo & in se, si tamen reatus inest, & sic potest concedi, quod in statu innocentiae, & in beatitudine

rudine manet ista virtus: nec mirum cum in Deo maneat iustitia vindicativa, licet non in seipsum, quia non potest esse reus.

Ad ultimum dico, quod non est virtus Theologica, immo circa obiectum creatum: & cum arguitur quod non potest esse inordinata, nego, immo ex multis actibus vindicandi in se non potest acquiri habitus, qui maneat cum peccato mortali, & possit acquiri ante deletionem peccati mortalis, nisi forte, quia Deus iustificat, antequam possit haberi actus sufficientes ad generationem poenitentiae. Et cum probatur primo, quod delet peccatum; ergo non stat cum eo. & respondo, quod virtus non delet etiam meritorie: sed actus qui natus est esse actus virtutis, sive sit a virtute elicitus, sive non, sed virtutis generativus, & cum hoc bene potest stare, immo necessario fiat quod sit inordinata, & post consequens habitus suus, si inest, erit inordinata. Et si arguitur contra hoc per auctoritates, quarum una est Augustinus, de poenitentia, *Sine charitate in nobis esse non potest vera poenitentia*: & alia Augustinus, de vera & falsa poenitentia, *Cum sit opus Dei fructifera poenitentia. Inspirare eam potest quodcumque vult sua misericordia*: & ibidem de vera & falsa poenitentia, quod sine amore Dei non consequitur veniam; habet hoc pro inconvenienti, & eodem modo, quod vera poenitentia sit sine amore Dei. Illae auctoritates omnes itam habent responsum, quia poenitentia, sive actus, sive virtus non est vera, quantum ad finem poenitentiae uti ingendum sine charitate, & hoc est quod dicit secunda auctoritas de poenitentia fructuosa: poenitentia enim absolute potest invariari ex naturalibus hominis, sed non fructificari. hoc est ferens fructum, immo ut fructuosa est in ultimo instanti. Sed illa tertia, quod sine amore Dei nullus consequitur veniam, potest ibi accipi venia non tantum pro poenitentia, sed pro sine poenitentia, & ita communiter dicimus, quod per poenitentiam acquiritur venia, & illa venia est, quando quis per gratiam acceptat ad amicitiam divini.

QUAESTIO III.

Utrum poenitentia virtus sit tantum unius peccati inordinativa?

Quod sic, arguitur, quia insigunt poenitentiam, ut ordinativam culpae: unius autem culpae est una poenitentia, sicut unius deordinationis est una ordinatio; ergo &c. Item, poenitentia est quadam iustitia, ut dictum est in *quest. praecedenti*. Iustitia autem reddit quaele pro equali; autem culpae potest esse una poenitentia equalis correspondens; ergo &c. Item, unus virtutis est unus actus, & unum obiectum; ergo poenitentiae, quae est una virtus, est unus actus, scilicet insigunt poenitentiam, & unum obiectum, scilicet poenitentiam in se. Contra. Joelis 3. *Scindite corda vestra*, &c. Et Jacobi, *Confiteamini aliter tunc peccata vestra*, & Marti. 3. *Facite dignos fructus poenitentiae*. Ex his omnibus auctoritatibus arguitur sic secundum Augustinum. Vera poenitentia ad baptismi innocentiam nititur reducere, sed non reducit, nisi per ista ita. Vel melius sic: Poenitentia est

iustitia

justitia primitiva secundum legem divinam; sed secundum legem Dei oportet plures penas infligere, ut probatur istis auctoritatibus; ergo &c. Item August. de vera, & falsa penitentia; & ponitur in decret. dissin. 16. auctoritas valde prolixā de multis, quae requiruntur in vero penitente, & subditur: *isti sunt digni fructus penitentiae.*

Hic dicitur, quod cuiuscunque virtuti in appetitu correspondet aliqua regula in intellectu, sive alia alibi, sive eadem pluribus de hoc in 3. 36. dissin. 4. unica argum. 2. Si penitentia secundum quod est virtus, & quaedam particularis iustitia, ex solutione praecedente habet suum proprium *penitere* secundum primam illarum quatuor significacionum prius positarum; ergo oportet sequere regulam illius virtutis in intellectu, & secundum illam sequere actus inflexivus unius pena vel plurius. Regula autem ejus dicitur esse duplex. Quidam naturaliter cognoscibilis ut scilicet quod de peccato est displicendum, & illa esset nota intellectui Angelico, si fuisset Angelus victor post primum peccatum commissum, & per consequens potuisset habere aliquid in voluntate correspondenter inclinans illi regulae ad actum faciendum, vel displicendum; & illa penitentia, sicut & regula ejus, potest esse in omni statu uniformis; quia si non dehecat cognitio naturalis conveniens naturae humanae, potest pro quocunque statu devenire in cognitionem illius regulae; & per consequens aequae habere in voluntate aliquid inclinans proportionabiliter illi regulae.

Alia regula respiciens peccatum detestandum tantummodo, est nota ex revelatione, scilicet quod peccatum est detestandum, inquantum est Dei offensivum, vel inquantum avertivum a Deo, vel inquantum acquisitionis beatitudinis, vel inquantum inducivum finalis miseriae, & sub istis rationibus correspondet huic regulae aliqua iustitia in voluntate, alia quidem, sicut alia est ejus regula.

Ad propositum, penitentia primo modo est tantum unius pena: inflexiva, sicut ejus regula tantum offendit unam penam insipientem, scilicet displicentiam, ad quam sequitur tristitia, quae est unica, & prima pena. Secunda est inflexiva cuiuscumque, cujus sua regula est dicativa; regula autem sua, scilicet notitia habita ex divina Scriptura dicitur plures penas esse intelligendas; quas laetor illius legis, cujus penitentis est minister, voluit intelligi ad hoc ut sufficienter placaretur: & tales sunt multae, ut colligitur ex Scriptura. Dicitur ergo ad questionem, quod penitentia primo modo, ut habens regulam naturaliter notam, tantum est unius pena inflexiva, & ex hoc, tristitia consequens penitentiam; sed penitentia secundo modo, scilicet ut habens regulam ex sacra Scriptura acceptam, est plurius penarum inflexiva, tot scilicet quot legislator ibidem revelavit sibi velle sufficere pro culpa totaliter expianda. Sed ex dictis infatur, quod penitentia secundo modo non sit virtus acquisita: quia ad ejus cognitionem, requiritur aliquid supernaturale, illud non est virtus acquisita: sed penitentia secundo modo est hujusmodi, quia not-

notitia, quae est ejus regula, non est naturalis, cum sit tantum possibile haberi ex revelatione; ergo &c.

Respondendo, in omnibus doctrinis ordinatis tam speculativis, quam practici, & hoc tam activis, quam factivis, superior aliquid novit eo modo, quo illud non potest esse notum inferiori. Patet 1. *M. metaphis. 1. Ethic.* Sc per exempla manifesta, quia in speculativis superior novit propter quid; sed inferiori tantum quia; in practicis autem activis superior novit suam superiorum vel propria ratione, & illum intendit: inferior autem non, sed tantum proprium finem. Consimiliter in artibus loquendo de finibus artium subordinatarum. Ad propositum veritates supremas speculativas non possunt naturaliter nosse, sed tantum ex revelatione, ut Deum esse finem; & universaliter quascumque veritates immediatas de Deo, de hoc in *lib. 1. q. 1. probog. & diss. 41. qu. 1.* Consimiliter in practicis non possunt scire Deum sub propria ratione esse finem creature intellectuales, nisi per revelationem. Consimiliter si possent inventiri aliqua ars ita excellens, cujus finis proprius non esset naturaliter cognoscibilis, oporteret de hac ejus habere cognitionem per revelationem. In virtutibus autem aliquae sunt possibile naturae humanae ordinaabiles ad suam sub ratione superioris, quam cognitio hujus status se extendat: ut potest, quod omnia sunt dimittenda propter Christum, & pro Christo: Peccatis in omnibus licitis esse obediendum, & hujusmodi. In talibus ergo regulis directivis oportet esse cognitae ex revelatione, & tales sunt universales omnes regulae virtutum Evangelicarum, ut puritatis, castitatis, & hujusmodi; quae principia, vel conclusiones practicae, quibus imitatur illae virtutes, ut regulae, non possunt naturaliter esse nota; nec propter hoc ille minus tunc virtutes, imo excellentiores virtutes; tum quia illa vera sunt excellentiora vera, pro quanto ad ea non attingit lumen naturale viatoris; tum quia illa vera sunt castiora, quam multa alia, ad quae attingit lumen naturale viatoris; quia vera ab illa veritate, quae nec fallere potest, nec falli. Unde habenti fidem, quod Deus inspiravit totam sacram Scripturam, & quod ipse est veritas infallibilis certus debet esse quidquid ab ipso in Scriptura est revelatum, quam illud ad quod quisque intellexit potest naturali lumine attingere. Nec ex hoc quod regula illius virtutis est tantum ex revelatione, vel fide nota, sequitur illam virtutem appetitivam non esse motalem, quia secundum Philosophum 2. *Ethic.* virtus moralis dicitur esse ex hoc, quod est ex more, vel ex consequendo generalibus; quocumque autem notitia, sive ex lumine naturali habita, sive ex fide potest secundum illam appetitum inclinari, & ex frequenti actione generare in se habitum sic inclinantem, qui erit habitus electivus, quia appetitivus, & secundum rectam rationem, licet non naturalem, sed aliam rectiorem. Et hoc modo Paupertas, Humilitas, Castitas, & hujusmodi sunt virtutes motales, quia secundum perfectam, & rectam in rationem, licet non pure naturalem ex more, id est frequenter, sic el gere generantur. Sic supposita illa regula nota ex Evangelio, *Penitentiam agite*, potest volu-

tar ex frequenter elicere adum constantem isti regulæ, generare in se habitum inclinatum ad conualescens actus; & ille vere erit virtus, quia recte rationi immo rectissime consonus; & tamen moralis, quia ex more & consuetudine generatur. Circa istam dubitatur.

Primo, quomodo ratione naturali potest esse notum peccatum aliquod sub ratione peccati in actibus humanis? Secundo, quomodo potest esse notum peccatum esse Dei offensivum? Tertio, quomodo potest esse notum peccatum esse a Deo aversum? Quarto, quomodo potest esse notum peccatum esse impeditivum aræque beatorum dignis? Quinto, quomodo potest esse notum peccatum esse dispositivum, tanquam denerium ad penam finalem? Omnia hæc dubia innotuerunt huic, quod nullam istorum videtur ratione naturali cognoscibile.

Respondere, quomodoque sit naturaliter cognoscibile peccatum esse detestandum, & puniendum sub propria ratione, potest habere pro regula penitentiam primo modo dictam, scilicet ut cognoscibile naturaliter; sed ut cognoscibile supernaturaliter, sic habet pro regula penitentiam secundo modo dictam.

Ad primum principale argumentum potest dici, quod pena ordinans peccatum secundum se, potest esse una minus; sed ordinans in ordine ad illum quem offendit culpa, multiplex est secundum voluntatem illius, in comparatione ad quem ordinat. Patet in actibus humanis, ubi pena satisfactionis aliquid officio, tanta & tam multiplex est, quanta & quodlibet sufficit offensio pro emenda. Penitentia autem tanquam pena subordinata iustitiae iudicis est virtus inflicti-
penæ correspondens voluntati ipsius offensis; & illa est multiplex loquendo de proicitur secundo modo, ut patet ex Scriptura, ubi iustitia iudicis principalis in vindicando culpam exprimitur. Ad secundum dicendum pro idem, quod æquale ex natura rei potest reddi, & tamen non esse sufficienter puniens; quia illa punio respicit puni-
torem in comparatione ad illum, ad cuius acceptationem sit illa puni-
tio. Et arguar: ergo crudelis est, si puniatio in se sufficiens non sit sibi sufficientes. Responsio nem querit. Dici potest, quod omnes illæ proæ equivalent uni pericite punitioni: scilicet enim atreito insufficiens est, ideo requiruntur alia, ut dicuntur esse.

Ad tertium patet in solutione precedente, quia actus penitentiae virtutis est imperare, & hoc tanquam de proximo actus causationis penæ, qui sunt respectu tristitia consideratio, & nolito alienius objecti. Ipsa autem tristitia loquens est effectus remotus; & ista bene potest multiplicari hæc actu uno ipsius penitentiae virtutis, quia per unum actum vindicandi, sive imperandi punitionem, potest quis imperare omnes punitiones correspondentes secundum iustitiam huic culpa.

QUESTIO IV.

Vivum per Sacramentum penitentiae deletur culpa?

Videntur quod non, quia dicitur Psal. *Dixi confitebor iniquitatem meam Domino tibi Callidatus: Magna pietas Dei, qui ad so-*

selam promissionem peccatum dimittit: votum enim pro operatione iudicatur. Et Aug. ibidem: *Noniam pronunciat, sed promittit se pronunciatum, & Deum dimittit*; sed sine pronuntiatione non est penitentiae Sacramentum. Item Aug. super illud Jo. 11. de iustificacione Lazari: *Nemo potest confiteri nisi iustificatus*; probat tripliciter. Primo per suscitacionem Lazari, qui prius iustificatus est, quam de monumento adductus. Secundo per illud Ecclesiasticus 17. *A mortuo velis, qui non est, perit confessio*. Tertio per illud Psal. *Nunquid medicus iustificabit, & confitebuntur tibi Item, si per Sacramentum Penitentiae dimittitur peccatum, cum sacerdos ministrat Sacramentum; ergo sacerdos dimittit peccatum. Consequens est falsum per illud Hieronymi sup. Mat. 16. *Libi dabo claves* &c. *Fiatis, inquit, solum non intelligentes quidam aliquid sumunt de superbia Pharisæorum, ut damnare innoxios, sed solvere putent noxios, cum apud Dominum non sententia Sacerdotum, sed verum via quaratur, & humilior probationem inuit fœdas: In Levitico se ostendere sacerdotibus solentur leprosi; quos illi non faciunt leprosi per mundos; sed discernunt, qui mundi, vel immundi sunt, ita hic Contra Mat. 16. *Quodcumque ligaveris* &c. Item Jo. 20. *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, &c.**

Hic sunt tria videnda. Primo ratio huius nominis Sacramentum a Penitentia. Secundo quod illi rationi nominis aliquid subest. Tertio solum quæstionis.

De primo, pono hanc rationem nominis: *Penitentia est absolutio hominis penitentis, facta certis verbis cum debita intentione prelati a Sacerdote, jurisdictionem habente, ex institutione divina effectus significativus absolutionem anime a peccato.*

Quod secundum. Ostendo primo, quod possibile est huic positioni nominis aliquid subesse. Secundo, quod congruit aliquid subesse. Tertio, quod aliquid subest. Primum ostenditur per hoc, quod possibile est Deo anime absolovere a peccato juxta illud Symboli *Remissionem peccatorum*, & per consequens possibile est influere aliquid signum illius absolutionis, & hoc signum eificax, ut prius expostum est eificax, in materia de Sacramento in universalis, & per ratione verba quæcumque, a quocumque ministro prolata, & tunc patet tota possibilis illius rationis. Congruitas propterea quantum ad singulas particulas.

Primo, quia congruunt est aliquid esse signum sensibile istius absolutionis a peccato propter easdem rationes, propter quas dictum est *dist. 1. de congruitate Sacramenti in generali*. Et propter easdem congruunt est illud esse signum institutum a Deo, quia & magis movebit, & ducet intellectum in certitudinem, & magis inclinabit effectum ad promptitudinem suscipiendi illud signum. Congruunt etiam in proposito illud signum absolutionis interioris influenti in verbis significativis absolutionem, ut signum repræsentat signatum. Et hoc est quod dictum est in ratione Penitentiae, *quod penitentia est absolutio*, id est quædam sententia definitiva absolvens remota non

causa sententia iudicis secundarii, vel commissarii; potest enim quis ex commissione cognoscere in causa, & ita ex commissione sententiarum, si dignus sit. Congruit etiam, quod ista absolutio exterior sit a sacerdote: quia congruit extrema per medium reduci in extremum, & ita in Hierarchia Ecclesiastica extremis, scilicet peccatoribus se haberi in Deum per Hierarchiam, id est Sacerdotem, sicut ergo in Ecclesia triumphante. Congruit etiam quod a iurisdictionem habeant, quia sententia a non suo iudice lata nulla est.

Ex hoc sequitur corollarium, quod doctrina de Sacramento Penitentiae subalternatur doctrinae de iudicio, & etiam doctrinae de sententia. Pro quantum enim est in Ecclesia duplex forus, scilicet publicus, & privatus, pro tanto est duplex iudicium; & quantum ad aliquas regulas iustitiae oporteret esse convenientiam hic, & ibi, sicut utraque definitio hic, & ibi est actus iustitiae. Ex pro tanto potest Sacramento Penitentiae dici Sacramento iudiciale, vel iudicium Sacramentale. Et ex hoc quod Sacramentale est firmius, quia rationabiliter, quam aliquod iudicium publicum. Sic ex hoc patet ratio, quare non est necesse esse in praefata verba in illo Sacramento, sicut in Baptismo, vel Eucharistia, quia sufficit quod exprimat actus sententiae absolventis, sicut & in iudicio publico non oportet esse limitata verba: ut enim unus de Theodoro matris, *Iubeo ignibus tradi*: aliter de Cypriano sancto, *Gladio animaveri placet*. Communiter tamen ista verba sunt apta, *Ego te absolvo*, quae cumque alia praerogantur, vel consequantur secundum diversam consuetudinem in diversis Ecclesiis. Congruit etiam, quod requiratur intentio debita, ut supra expositum est in aliis Sacramentis. Congruit etiam ex parte deservivi quod sit penitens, id est, habens aliquam dispositionem peccato commisso; hoc enim videmus etiam in iudiciis temporalibus, quod protervum sententialet condemnant, penitentem vero suo modo absolvent, id est, tanquam non reum, vel non puniendum sententiant. Tertio dico, quod hoc tacitum est; cuius iudicium accipitur ex auctoritatibus adductis ad oppositum, & quod a Sacerdote suo possit dispensari, habetur *Extra de summa 1210. & super Caen. Firmiter*. Et congruum est ut item habeat potentiam super Corpus Christi verum, & mysticum. Ex hoc sequitur corollarium, quod nihil pertinens ad Sacramento Penitentiae potest a laico dispensari, sicut nec contentio Eucharistiae, & ideo confitio quae est dispositio praevia ad Sacramento penitentiae, ut dicitur postea, facta laico, nihil valet virtute operis operati. Et adhuc dubium est, an sit in detrimentum salutis, quia illa revelatio non potest esse conditionalis.

Quantum ad tertium articulum, videtur esse opinio Magistri distinct. 18. cap. 6. In *seculis culpis*, inquit, *& retinendis ita operatur Sacerdos Evangelicus, & iustitiae, sicut olim legalis in illis, quae erant contra; amittit lepra, quae peccatum significat, & probatur per illud Hieronymi, quod iam adductum est. Sed illud videtur minus*

ec-

deponere Sacramento Penitentiae. Nam secundum hoc per Sacramento Penitentiae nunquam deleteretur peccatum; sed necesse est prius deleri per contritionem ad hoc, quod digne suscipiatur Sacramento Penitentiae; quia nullus digne ostenditur mundus a peccato, nisi prius sit immunis ab eo. Et sequenter ulterius inconveniens, quod nunquam Sacramento Penitentiae possit esse secunda tabula, quia nunquam liberaret naufragium a periculo submergionis. Dicitur ergo quod ita Deus requirit dispositionem de congruo, ad hoc ut peccator conerit eratum per Sacramento, & hoc non quod alliget potentiam soam Sacramentis, quin tamen sine dispositione illa praevia, & congrua quae iustificet, consecrat per Sacramento eratum, & haec est maior misericordia, scilicet duplicem viam instituit, per quam iustificetur peccator, quam ipsam ad unam viam arctare. Sicut ergo aditus prima gratiam delentem originale potest habere duplici via; vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi: ita & in proposito. Hoc declarat sic, quia ad primam susceptionem gratiae requiritur aliquis motus meritorius de congruo; ad secundam autem non requiritur nisi voluntaria susceptio Baptismi, & sine fictione; hoc est cum intentione suscipiendi, quod consistit Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis; ita quod in prima requiritur aliquod opus intrinsecum aliquo modo acceptum, tanquam meritum de congruo. In secundo solum requiritur opus exterius cum amotione interiori impedimenti; non salum ergo arctatur per aliquod tempus usque ad certam instanti in ultimo instanti recipit gratiam delentem peccatum, tanquam per virtutem meriti de congruo, ut declaratum est in solutione praecedenti sed non habens talem actum, qui sufficiat ad meritum de congruo, sed tantum habens voluntatem suscipiendi Sacramento Ecclesia, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facti, vel in voluntate inhaerentis; recipit non ex merito, sed ex pacto divino, effectum illius Sacramenti; ut sic patrum attritus, etiam attritione quae non habet rationem meriti ad remissionem peccati: volens tamen recipere Sacramento Penitentiae, sicut dispensatur in Ecclesia, & sine obice in voluntate peccati mortalis in actu in ultimo instanti illius prolationis verborum, in quo scilicet est vis Sacramenti illius, recipiat effectum Sacramenti, scilicet gratiam penitentialem; non quidem ex merito, quia dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assensitum Sacramento suo ad effectum illum, ad quem instruit Sacramento: alioquin non apparet quomodo Sacramento Penitentiae esse secunda tabula, si nunquam per ipsum, ut Sacramento est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per attritionem tanquam per praeviam dispositionem, & per contritionem tanquam per dispositionem completivam. Si quaeras, in Penitentia sic Sacramento? Respondendo; vis fit in vocabulo, si penitentia accipitur, ut in dubus quaestionibus praecedentibus, scilicet per actuali penitentia, secundum quamcumque illarum significationem, vel etiam per habitus penitentia, quae est virtus que-

Tom. II.

E c

dam

dam specialis, cuius actus est tenentia actualis. Secundum primam significationem non est penitentia Sacramentum, quia non est signum sensibile; sed illis modis potest dici Sacramentum Penitentiam intelligendo constitutionem transivam, non autem intransivam, sicut hic, creatura facta, nisi hic equivoceetur nomen penitentia.

Ad primum argumentum concedo iuxta illas auctoritates Psalm. Aug. & Cassiodori, quod frequenter dimittitur peccatum per aliquem motum attritionis, tanquam per meritum de congruo ante susceptionem Sacramenti Penitentia, sicut in adulto frequenter dimittitur, originale ante susceptionem Baptismi; nec tamen sequitur, quod per Sacramentum non dimittatur, quia si illa alia dimissio, quandoque non addit, illa non deficit; & illa minus requirit, scilicet intentionem suscipiendi Baptismum, sive Sacramentum penitentiae sine obice contra effectum ejus.

Ad secundum dico, quod duplex est confessio, laudis, & fraudis Confessione laudis, nullus digne confiteatur, nisi prius susciatur; quia secundum Hieronymum in illa epistola, Cogitis me, Non est speciosa laus in ore peccatoris: Sed confessio si iustis accepta est Deo, in ore peccatoris, hoc est, ejus qui adhuc est peccator, eo modo quo expostum est in prima quest. istius dist. peccatum manere post actum, dum tamen non sit peccator in voto, seu actu interiore, vel exteriori. Concedo ergo, quod ante perceptionem dignam Penitentia oportet suscitari, vel simpliciter; & tunc per penitentia Sacramentum non deletur peccatum: sed gratis, quae insuit augetur; vel suscitari secundum quid, scilicet ut habeat aliqualem dispensationem de peccatis, & propositum cavendi de caetero, & velit suscipere Sacramentum Penitentia, in quo attritio fit contritio, (a) & tunc susciatur simpliciter per Sacramentum. Et quidem est necessarium, ut dicitur distinct. 17. sicut etiam dictum est supra; quod iustificatio per baptismum flammis, necessitatis est Baptismus fluminis.

Cum obicitur de Lazaro, qui prius fuit susciatus, quam solutus a vinculis. Respondeo, reus obligatur debito poenae aeternae, quo vinculo soluto obligandus est ad poenam temporalem, prius autem susciatur, quam obligatio prima mutetur in secundam: vel, quod verius est, prius susciatur, quam solvatur a secunda obligatione; & hoc modo ad Sacerdotes pertinetolvere, non simpliciter, sed pro parte poenae, quam possunt relaxare virtute clavium, de qua inferius dicitur, & si Lazarus vivificatus a Christo, idest peccator a morte culpa per gratiam resuscitatus, & solutus a carcere sepulchri, id est, peccator solutus a debito poenae inferni, relinquitur discipulis solvendis ab infirmit, (b) idest a poenis temporalibus, in qua commutatur poena aeterna, quas poenas temporales potest Sacerdos relaxare, vel intendere clave non errante. Ad ultimum concedo, quod Sacerdos ita dimittit peccatum in Penitentia, sicut in Baptismo, & ita absol-

vit

vit sicut baptizat: quia utrobique simpliciter verum est, quod ministrat Sacramentum: effectum autem Sacramenti ministerialiter causat, quia aliquod causat, ad quod secundum dispositionem, seu passionem Dei regulariter sequitur effectus Sacramenti. Ad illud Hieronymi respondeo, affirmativa illa vera est, scilicet quod sicut Sacerdos legalis ostendebat leprosus mundatos, sic Sacerdos Evangelicus ostendit peccatores iustificatos: sed negativa, scilicet quod non aliter Sacerdos Evangelicus se habeat ad leprosus spiritualiter, quam Sacerdos legalis ad leprosus corporales, scilicet praesens ostendendo mundantiam sine inde, falsa est. Et ratio est, quia non dedit Deus in veteri lege aliquam ceterononiam, vel purificationem, cui ministrata a ministro idoneo assistit regulariter ad mundandum leprosus corporalem: dedit autem in lege nova aliquod Sacramentum, cui ex pacto regulariter assistit ad mundandum spiritualiter, nisi impediat obex contrariae voluntatis.

DISTIN. XV.

Circa hanc Decimamquintam Distinctionem quaeritur,

QUESTIO I.

Virum cuiuslibet peccato actuali mortali correspondeat propria satisfactio.

Videtur quod non, quia tunc posset satisfieri de uno, non satisfaciendo de alio. Illa enim propria una posset solvi sine propria alteri: sed consequens est falsum, quia satisfaciens de uno reconciliaretur ad amicum proximum, & non satisfaciens de alio remaneret inimicus: simul ergo amicus et inimicus, scilicet, quod est impossibile. Item, tunc posset satisfactio fieri de uno, remanente alio peccato, quia illud quod est proprium illi posset solvi, sicut remaneret voluntas alicuius peccati. Item, si cuiuslibet propria; ergo tunc deberet oratio tantum, alteri jejuniis, alteri elemosina. Consequens est falsum, quia tunc non posset per quocunque peccato indifferentem imponi quodlibet sitorum, & tunc in aliquo casu nulla posset imponi satisfactio pro peccato, quia possibile est pauperem peccare illo peccato, cui correspondeat elemosina, & non posset facere eam: confimiliter tunc nunquam imponerentur omnia talia simul pro uno peccato. Item, secundum Magistrum distinct. 20. & sicutur ab Aug. quandoque tantum est contritio, quod totam poenam delet; ergo contritio potest esse communis satisfactio sufficientem pro quocunque: requiritur etiam pro quocunque, quia sine illa non deletur aliquid peccatum. Contra, satisfactio pro culpa est solutio poenae, quia satisfactio est redditio ejus quod est reddendum secundum usitum: sed secundum iustitiam poena ordinat culpam: sed determinatae culpe correspondet propria poena, sicut deordinatiois ordinativa; ergo &c. Item, Apoc. 18. dicitur de illa Babylone: *Quantum glorificavit se, &*

Et c.

in